VIRO CLARISSIMO

JO: GEORGIO SCHELHORNIO

MEMMINGENSI BIBLIOTHECARIO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

QUandoquidem librum, quo Cl. Geretus Artium Magiſter me comiter donavit, manibus tuis ab ipſo creditum, Eruditiſſime Schelhorni, quo gratior ad meas perveniret, Tu Brixiam ante paucas hebdomadas tranſmittens, literis tuis ipſum ſociaſti, iiſque amantiſſime mihi operam tuam, ſi quid Gereto nunciandum haberem, obtuliſti, ea volens libenſque nunc utor. Oro Te igitur, ut primo loco Scriptorem illum certiorem facias, magnas a me gratias ejuſdem liberalitati referri, deinde arriſiſſe mihi ſingularem in modum curam, quam ſuſcepit, illuſtrandi res Aldi Manutii, nimirum vitam, merita, libroſque ejus ſtudio excuſos; ac tandem eidem ſignifices, in ſtuporem me maximum adduxiſſe, quod potis ille fuerit valde arduum opus aggredi, atque conficere, quamvis auxiliis illis caruerit, quæ profecto ingens ipſi adjumentum præſtitiſſent. Datum ſiquidem ei minime fuit ſuis oculis uſurpare, manibuſque contrectare quotquot de eodem argumento digeſſe-

Digitized by Google

rat Apoſtolus Zenus in Opuſculo, quod Tullii Epiſtolis Italico idiomate redditis præfixum viſitur, inſcribiturque, *Notizie letterarie intorno alli Manuzi*, aut quotquot Jo: Georg. Schelhornius in Amœnitatum ſuarum Tomos huc illucque diſperſerat. Nemo tamen propterea Gereti incuriam accuſabit, ſed iniquæ tantum ejus ſortis, veluti dixi, miſerebitur. Doluit ipſemet de Zeni Opuſculo illo id unum ſe reſciviſſe, quod extare ipſum ex Joecheri Lexico didiciſſet; ac dolenter quoque faſſus eſt, tuas illas Amœnitates ad manus ſibi nequaquam fuiſſe, at paucula tantum ex iiſdem ſecum amicos communicaſſe. Triſtius adhuc mœrebit Geretus, dum meas haſce literas perlegens intellexerit, eas Amœnitates paſſim vel in Italicis officinis obvias proſtare, noſque omnes, quotquot variam literaturam amamus, magnifacere ſelectæ eruditionis copiam, qua illæ redundant. Mihi certe jam ab aliquot annis innotuerant quæ earundem Tomo ſecundo tradidiſti de libris paulo poſt typographiam inventam impreſſis, & præſertim a Manutiis, Aldo inprimis ſeniore; quæque Tomo decimo a Te ſunt ſcripta de Aldinis Editionibus omnibus, in locupletiſſima Bibliotheca SchWarziana extantibus, & de iis quoque, quæ librariam tuam ipſam ſupellectilem exornant; quas nempe Parte II. Vol. II. Amœnit. Eccleſiaſt. Te paraſſe affirmas ope in primis Jo: Sigiſmundi, tui ex germano fratre nepotis, dum Italiam peragraret. Hæc omnia Gereti libri cauſa denuo oculis meis his ipſis diebus luſtravi, eaque dili-

gen-

genter conferens cum Editionibus Aldinis ab eodem memoratis, inde bene multas, quas ipſe poſſides, effugiſſe oculos deprehendi Michaelis Maittaire, & Jo: Alberti Fabricii, quos ferme ſolos viæ ſuæ duces ſectatus eſt idem Geretus. Inter cætera anceps animi hæſi nactus mentionem ab iſto factam Horatii editi ab Aldo an. MDIX. recitatumque ibidem breviarium Præfationis ei Editioni ab ipſo Aldo præfixæ; ſuſpicatus enim ſum, Geretum non quidem ejus Editionis notitiam, quam ſcilicet ſuppeditare eidem valuit idem Fabricius, imo etiam Maittaire in Appendice, ſed breviarium illud, quod horum neuter indicavit, deſumſiſſe ex tuo illo Volumine, quod poſtremo loco laudavi, namque ibidem integram eam Præfationem inſeruiſti. Hanc vero eo dulcius ego relegi, quod honor in ipſa enarretur, qualis a Phædro commemoratur de Simonide Poeta, Aldo literarum cauſa in graviſſimo diſcrimine habitus Canneti, qui locus ad Mantuanam quidem ditionem pertinet, ac XX. milliaribus ab ea Urbe diſtat, in Brixiana tamen mea iſta Diœceſi continetur. Gratiam a me itaque ſingularem iniiſti, Schelhorni, ex ea Præfatione in medium allata, non ita vero ex Epigrammate, quod tuo Horatianæ illius Editionis exemplari inſcriptum Mediolani an. MDXXI. in laudem Lutheri (ab homine, ut affirmas, haud dubie Italo) evulgaſti; imo de eo Epigrammate id ipſum dicam, quod de Amœnitatibus tuis alibi ſcripſi, plura ſcilicet ibi legi, quibus Catholicorum

 palato

palato nihil amarius, auribus nihil inamœnius.

Gereti librum gratiorem mihi futurum, quod tuis e manibus ad meas commeaverit dixi harum literarum initio, qua autem ratione id contigerit, magis magiſque intelliges, dum ex occaſione, quæ mihi his ipſis diebus ſuborta eſt, ſuavem, quem tecum hactenus habui, ſermonem de Venetis Aldi Editionibus, diutius aliquantulum protraham, ad Romanas divertens, quas ante Aldum curavit Joannes Andreas Epiſcopus Alerienſis, cui primum locum ipſe aſſignas inter erudiriſſimos enaſcentis typographiæ præſides. Præbuit mihi occaſionem illam Cl.Freytagius A.M. cujus in literis, quas ab ipſo ante menſem accepi, hæc ſunt verba: *Controverſia mihi nuper mota fuit ab amico de nomine Epiſcopi Alerienſis, qui exorientis artis typographicæ tempore, multa veterum Auctorum monumenta oblivioni eripuit. Cum enim illum, tuæ potiſſimum Adpendicis, qua hiſtoriam ſeculi Pauli II. literariam illuſtraſti, auctoritate ad id adductum,* Joannem Andream, *in libris meis editis, paſſim adpellarem, is per literas mihi confirmare ſuſtinuit, illum* Joannem Antonium *adpellatum fuiſſe, Epitaphii verbis ex Ugbelli Italiæ ſacræ Tom. III. col.* 504. *productis, ubi hoc inſiguis nomine reperitur. Etſi quidem me multis ſynchronorum, & recentioris ævi Scriptorum, qui illum uno quaſi ore* Joannem Andream *adpellarunt, defendere poteram, is tamen Epitaphii verbis fidem habendam eſſe regeſſit, ſuamque ſententiam nonnullis veterum*

Au-

Auctorum editionibus, *v. g. Editione Livii Mediolani anno* 1495. *in fol. excuſa*, *in qua diſertis verbis* Joannes Antonius *nominatur*, *corroborare*, *meque confundere ſtuduit*. *Ad Te igitur*.... *provocavi arbitrum*.

Putaſſes ne, Schelhorni, poſt laborem, quem noſti ex libro *Pauli II. Geſta illuſtrata*, & *vindicata* exantlatum a me fuiſſe in Editionibus Alerienſis Epiſcopi non tantum manu contrectandis, ſed in recitandis earundem Præfationibus, quarum ne unam quidem omiſi, & præterea in evolvendis expendendiſque Philelphi Epiſtolis, a libro XXIII. uſque ad librum XXXIII. quod eæ ſcilicet ad Pauli II. tempora referantur, ac plura habeant de egregio ſtudio per Antiſtitem illum impenſo in ſparta, de qua agitur, adornanda; putaſſes ne, inquam, non defuturum eruditum aliquem qui de germano ejuſdem Antiſtitis nomine litem mihi moveret? In illis autem omnibus, Alerienſis noſter non *Jo: Antonius*, ſed Jo: ANDREAS conſtanter indigitatur. Annon ergo jure merito affirmem, præ manifeſtis illis & indubiis monumentis flocci facienda eſſe quæ in contrarium ex Minutiano & Ughellio afferuntur? At ea etiam comparatione ſepoſita, aperte conſtat, ab ea ipſa Editione, quam Minutianus in Præfatione ſua commendat, *Antonii* nomen diſſentire, namque in fronte ipſius Præfationis Alerienſis, quam ſuæ præmiſit Minutianus, haudquaquam legitur *Jo: Ant.* ſed Jo: AN. parique ratione, etſi etiam in Regeſto, de more, ei Editioni ſubjuncto, Jo: AN. ſignandum fuiſſet, attamen Typotheta oſcitanter nomen illud expreſſit prio-

prioribus literis An.adjuncta litera T,quam ipſam adjunxerat in Minutiani Præfatione. In Mediolanenſi ea Editione, qua Brixia mea fruitur, varietatem illam meis oculis inſpexi. Quoad Ughellium vero, noverit Freytagius in ſepulchrali Alerienſis Inſcriptione, cujus exemplum Roma mihi tranſmittendum curavi, Epiſcopi illius nomen revera ſolis literis Jo:An.deſignari, quamvis in utraque Ughellii Editione *Jo: Antonius* ſcribatur; falſo utique, ſicuti falſo ab ipſo Ughellio Raphael Volaterranus allegatur, perinde ac ſi is in Commentariis ſuis Alerienſem Epiſcopum *Jo: Antonii* nomine donaſſet, nam ille Jo: Andream diſerte nominavit. Ridebit modo, ut certo reor, Freytagius, allatam ſibi moleſtiam ab inficeto Cenſore, multoque magis, quod ipſam repellendi rationem adinvenerit veritati omnino conſentaneam. Scripſit enim in ſuis ille ad me literis: *Omnem ſane controverſiam dirimi poſſe ego crediderim, ſi Epitaphium ipſum, quod in Templo S. Petri ad Vincula Romano exſtare dixit Ughellus, a quopiam inſpectum, & accurate deſcriptum fuerit. Forte enim illius nomen, ut in omnibus fere editionibus, quas Epiſcopus ille* Aleriensis, *per ſcribendi compendium* Jo: An. *expreſſum, & ab Ughello, aut ab alio, qui Epitaphium deſcripſit, rei haud ſatis gnaro, per* Joannem Antonium *interpretatum fuit.* Loco futilis illius controverſiæ animadvertat, velim, Freytagius, perperam in Veneta Ughellii Editione ex uno Alerienſi Epiſcopo binos confictos reperiri, cauſamque errandi ejuſdem curatori datam

fuiſ-

fuiſſe ab Trithemio, illius Antiſtitis mortem ad an. 1493. referente. Trithemium novimus de Italis rebus parum accurate ſcripſiſſe, cujuſce rei novum documentum præbet locus ipſe, in quo verſamur, nam ibi Jo: ANDREAM noſtrum cum Joanne Andreæ Juriſconſulto Bononienſi confundit, hujus nempe Opera quædam illi aſſignat, deinde Innocentii Pontificis & Friderici Imp. notas chronicas affert, quæ ſecum invicem pugnant. Quam vero conſonet nota illa anni 1475. ſignata in ea Inſcriptione tempori, quo vita exceſſit Jo: ANDREAS ALERIENSIS, etſi ſatis ſuperque oſtendant Præfationes ejuſdem a me recitatæ, quarum nullam anno illo poſteriorem fuiſſe conſtat, teſtis tamen inſuper mihi eſt Herodoti Editio Romæ excuſa, quam hic Brixiæ in manibus habeo; ad calcem enim ejuſdem legitur Epigramma hujuſmodi:

Miraris, fuerim cum ſcriptor Ionicus, unde eſt
Quod nunc Romanus perlegor Herodotus.
Magna quidem merito referenda eſt gratia Vallæ:
Ille meam pulchre tranſtulit Hiſtoriam.
Res igitur priſcas, memorandaque facta Virorum
Qui cupit ex uno noſcere, noſtra legat;
Nam ne deſuerint noſtra exemplaria Romæ,
Arnoldi artifices conſuluere manus,
In quibus Andreas, Alerienſis Epiſcopus olim:
Extremam impoſuit, nec ſine laude limam.

Prodiit ea Editio menſe Aprili an. 1475., Jo: autem ANDREAS, qui ibi dicitur, *Alerienſis Epiſcopus olim*, ex laudata Inſcriptione ſepulcrali mortem obiit die 4. menſis Februarii ejuſdem anni.

Re-

Redeo ad Geretum, cui ſignifices velim, de Aldinis Editionibus, quæ Græca cum Latinis verſionibus eo miro & inſolenti prorſus modo conjunguntur, quem ipſe a Chevillerio edoctus, verbis ejuſdem Aldi explicavit, nonnulla a me in medium afferri in binis Epiſtolis meis ad Clariſſimos Feverlinum, & Kaeſtnerum, quæ ipſum reſciviſſe non pigeret. Multa ibi adnotavi de inuſitato illo artificio ex Editionibus Carminum Sancti Gregorii Nazianzeni, Homero - Centronum, Conſtantini Laſcaris Grammaticarum Inſtitutionum, quas omnes Brixiæ poſſideo, ac præterea de Nonni Panopolitæ Commentariis in Evangelium Sancti Joannis, in quibus excudendis an Aldus fidem ſuam ſervaſſet, Feverlinus ſe ignoraſſe mihi ſcripſerat. Mea iſta latuiſſe Geretum nil mirum, quippe qui ex omnibus obvio Amœnitatum tuarum promptuario nihil ferme ſuo in libro inſerere valuit.

Quoniam vero ex veteri axiomate *voluptatem habent miſeri ex mœrore ſociæ calamitatis*, monendus a Te erit Geretus, infortunatum haud minus ipſo fuiſſe Cl. Chriſt. Leſſerum, cui, uti noſti ex literis recens a me datis ad Clar. Kaeſtnerum, ſignificandum per iſtum curavi, omiſſum ab ipſo fuiſſe inter Poetas Biblicos Latinos, de quibus eruditam vulgavit lucubrationem, Jovitam Rapicium Brixianum, Virum æque excellentem in Arte Oratoria, quod conſtat ex laudatiſſimo ejus Commentario *De numero Oratorio*, ac in Poetica facultate, qua ſe mirifice præditum oſtendit edita Davidicorum

rum

rum Pſalmorum metrica verſione, quam a tribus jam luſtris in libro *De Brixiana Literatura* merito comparari poſſe monſtravi famigeratiſſimis Flaminii, & Buchanani, Davidis pariter Pſalmorum, verſionibus. His ipſis diebus forte fortuna detexi, ſocium alium ejuſce generis Gereto adjungere me poſſe; dum enim quidpiam aliud quærerem in Volumine ſeptimo Symbolarum Litterariarum, quibus colligendis operam dat Eruditiſſimus Jo: Franc. Gorius, incurrit in oculos meos exhibitus ibidem primo loco Numorum in Europa percuſſorum deſcriptio authore Eraſmo Froelichio Soc. Jeſu. Aggreditur hic tractationem ſuam a tribus Corcyræorum numis, eoſque referendos cenſet non ad Corcyram celeberrimam in Jonio mari inſulam, ſed ad Corcyram alteram in mari Adriatico, quæ vulgo Corcyra nigra dicta eſt; ad alteram hanc ſpectare pariter affirmat bellum cum Teuta Illyrici Regina geſtum, atque confectum a Romanis, & aliqua indicat de origine nominis Κόρκυρα vel Κέρκυρα. Quam multa de numis illis, de eo bello, de origine iſta, in rem ſuam peritiſſimus ille Antiquarius derivare potuiſſet ex libro *Primordia Corcyræ*, quod triginta ab annis edidi Lycii in Regno Neapolitano, quodque a viginti hic Brixiæ publicavi novis curis recognitum, ipſe optime noſti, quippe qui eundem haud ſemel in literis tuis humaniter probaſti, ac præterea ipſemet compertum mihi feciſti, Jo:Georg. Wachterum in Archæologia ſua numaria ſcribere, ſibi mirum accidiſſe, me in Opere illo non vidiſſe,

 nec

nec agnoviſſe, in numis Corcyræis areolas quadratas exhibentibus magnum Inſulæ ejuſdem decus, hortos ſcilicet Alcinoi deſignari. Meminiſti utique, Schelhorni, ad refellendam Wachteri admirationem hanc me Tibi primum, deinde Mazochio Clariſſimo ſignificaſſe, adeo decus illud Corcyræ meæ mihi innotuiſſe, ut Homeri verſus recitaverim, qui Alcinoi hortos deſcribentes, principio areolas illas quadratas commendant. Horum omnium inſcium ſe exhibet Froelichius, ac propterea una cum Leſſero juſte ſociandus Gereto tuo. Hic tandem, te monitore, cavebit, ne Arnobii librorum adverſus Gentes novam Editionem, uti ſe facturum pollicetur, adornare ſuſcipiens, ſpe non decidat Romanam, quam Fauſtus Sabæus Brixienſis ante annos ducentum vulgavit, in ſuos uſus adſciſcendi, nec omittat ejuſdem Sabæi res, uti fieri ſolet in Præfationibus, illuſtrare, niſi conſulta prius ampla illa ſupellectile, quam eidem offeret liber paulo ante dictus *De Brixiana Literatura*.

Demum haſce literas claudens, perſuaſum habeas, velim, Schelhorni Clariſſime, quæcumque in iiſdem ſcripſi nihil officere exiſtimationi, qua proſequor homines veſtros, etſi a Catholica Religione diſſidentes, eruditionis tamen fama inſignes, nec etiam grati animi ſenſibus, quos profiteor eorundem erga me comitati, quam experiri frequentiſſime mihi contigit vel eo tempore, quo adverſus illos ejuſdem Religionis cauſam pro viribus propugno. Vale.

Brixiæ die XI. *Februarii an.* MDCCLIV.

Ad 115784

Digitized by Google